

à quibus gratuito habebant hospitium. 9. Peculia-
ri ratione dediti erant pietati. 10. Manè ante so-
lis ortum nihil prophani loquebantur, sed preci-
bus ac orationibus erant intenti. 11. Post preces,
quisque conferebat se ad suos labores. 12. Deinde
iterum in vnum collecti, & lineis velaminibus
præcincti, frigida aqua se lauabant & purificabat.
13. Post hanc lotionem ibant modestè ad cœna-
culum, vbi Sacerdos ante, & post cibum, orabat,
reliquis astantibus. 14. Finito prandio, redibant ad
consuetos labores. 15. Quibus finitis, eo ritu cœna-
bant, quo antea pransi erant. 16. Setuabant accu-
ratè silentium. 17. Nihil ferè agebant, nisi ex Cur-
atorum suorum imperio. 18. Sine Curatorum facul-
tate, nihil consanguineis poterant dare. 19. Noui-
tios quadriennio probabant. 20. Accuratè serua-
bant Sabbathum. 21. Credebant animarum im-
mortalitatem. 22. Aliqui inter illos futura prædi-
cebant. Hæc omnia fuse prosequitur Serarius ex
Iosepho Flauio. Qui etiam affirmat, multos Esse-
norum, ad fidem Christianam fuisse conuersos.

CAPVT

CAPVT XI.

De Iudice controversiarum in Veteri
Testamento.

QVÆRITVR 1. An Pontifex in Veteri Testamento fuerit Iudex controversiarum. 2. An Pontifex in dirimendis controversiis fuerit infallibilis Iudex, ita ut non potuerit errare. 3. An etiam in Nouo Testamento sit aliquis Iudex infallibilis, & quis ille sit

QUÆSTIO I.

An Pontifex in Veteri Testamento fuerit
Index controversiarum?

1. **R**espondeo. Certum est, fuisse. Hoc testa-
tur Iosephus lib. 2. contra Apionem, cum
ait; *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo sacrificat, le-
ges custodit, dijudicat controversias, convictos delicti pu-
nit: cui qui non obedit, is pœnas luit tanquam in Deum
impius.*

2. Et manifestè colligitur ex illo Deut. 17. 8.
*Si difficile & ambiguum apud te indicium esse perpe-
xeris inter sanguinem & sanguinem, causam & cau-
sam, lepram & lepram: & indicium intra portas
videris verba variari: surge & ascende ad locum
quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sa-
cerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit*

Q 3 illo

illo tempore, quærisque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies, quodcumque dixerint, qui præsumi loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequentisq; sententiam eorum. Non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superberit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.

3. Circa hunc locum aliqua notanda sunt. Primum est, quod variæ fuerint controuersiae in populo Iudæorum. Hic quidem duæ speciatim recensentur. Vna de sanguine; altera de lepra. Alibi tamen summatim insinuantur quatuor genera, vt 2. Paral. 19. 10. *Vbicunq; questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus.* Nam aliquæ, vt ibi interpretatur Lyranus, oriebantur ex lege Decalogi: aliæ ex mandatis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi: aliæ ex præceptis ceremonialibus, ad diuinum cultum spectantibus: aliæ denique ex præceptis iudicialibus, quæ ad externam pacem & iustitiam conseruandam erant accommodata.

4. Alterum est, quod in singulis ciuitatibus constituti fuerint inferiores Iudices, qui ex officio debebant huiusmodi controuersias dirimere, vt habetur Deut. 16. 18. *Iudices & Magistros constituues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.* Et 2. Paralip. 19. 5. *Constitui Iudices terra in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca.*

5. Tertium est, quod quando inferiores Iudices non poterant inter se conuenire, nec controuersias

uersias ad se delatas, propter peculiarem aliquam difficultatem dirimere: necesse fuerit confugere Hierosolymam ad superiores Iudices, quibus tamquam supremus Iudex, præsidebat Pontifex: & illius sententia, sub pena mortis, oportebat acquiescere. Hoc patet ex verbis paulò ante citatis: *Si difficile & ambiguum apud te (id est , in ciuitate tua, in qua habitas) iudicium esse perspiceris, &c.*

6. Hinc colligimus, duplex apud Iudæos fuisse Tribunal & Concilium: Vnum maius, alterum minus. Inter ea fuit multiplex discrimen. Primo, quia maius erat tantum in Hierusalem: minus in singulis ciuitatibus. Secundo, in maiori diuidabantur maiores controuersiae; in minori, faciliores. Tertio, in maiori præsidebat Pontifex: non item in minori. Quartò, à minori licebat appellare ad maius; non contra, à maiori ad minus. Quinto, in maiori erant septuaginta personæ, præter Pontificem: in minori, viginti tres. Sexto, maius vocabatur Sanedrin, vel Synedrion, vel Concilium Seniorum: minus non item. De maiori sæpè fit mentio in Euangeliō, vt Marci 14. 55. & Lucæ 9. 22. & Actor. 4. 5. Videantur interpres.

7. Vtrumque Concilium habuit suam originem sub Moysi. Et minus quidem institutum est ex consilio Iethro: maius vero ex mandato Dei. Occasio minoris instituendi describitur Exod. 18. v. 13. his verbis: *Altera autem die sedet Moses, ut iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane usque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus prestolatur de mane usque ad vesperam?*

Cui respondit Moyses: Venit ad me populus, quarens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut iudicem inter eos, & ostendam precepta Dei, & leges. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: studio labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est. Ultra vires tuas est negotium: solus illud non poteris sustinere, sed audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Prouide de omni plebe viros potentes, & iumentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam: & constitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios & decanos, qui indicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te; & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusque sit tibi partito in alios onere. Quibus auditis, Moses fecit omnia, quae ille suggesserat: Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos Principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore: Quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.

8. De maioris Concilij institutione sic legimus Numer. II. versu 16. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri: & ducas eos ad ostium Tabernaculi frèderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi: Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustinent tecum onus populi, & non tu solum graueris. Et infra versu 24. Venit ergo Moses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israël, quos stare fecit circa Tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Mose, & dans septuaginta viris. Cumque

requiri

De Iudice Controueriarum in V. T. 229
requieuerisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec ultra cessauerunt.

9. Porro cum vtrumque Concilium, progressu temporis, penè collapsum esset; iterum restitutum & renouatum fuit à Iosaphat Rege Iuda, ut habetur 2. Paralipomen. 19. 4. his verbis: Habitauit ergo Iosaphat in Ierusalem: rursumque egreditus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum Patrum suorum. Constituuntque Iudices terra in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca. Et præcipiens iudicibus, videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: Et quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Hæc omnia intelliguntur de minori Concilio. Iam sequitur de maiori. In Hierusalem quoque constituit Leuitas & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israël, ut iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius. Precepitque eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem causam, que venerit ad vos fraudum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognationem & cognationem, ubiqueque questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificatiōibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum perirent, presidebit. Porro Zabadias filius Ismaël, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Vbi vides, Pontificem fuisse præsidem, seu caput Concilij Seniorum.

10. Igitur, ut verbo repetam, quæ dicta sunt,

Q 5. sub

sub Moſe in deſerto, res ita geſta eſt. Primò, ſolus Moÿſes (qui erat Pontifex extraordiñarius) iudicabat omnes omnino controuerſias, quæ in po- pulo oriebantur. Deinde, vt hoc onere nonnihil ſubleuaretur, additi ſunt illi Tribuni, Centurio- nes, quinquañenarij & decani, qui minores cauſas iudicarent, & grauiores ad illum remitterent. De- niue ad maius ſolatiū, ſeptuaginta Seniores electi ſunt, qui etiam in cauſis grauioribus illi af- filiarent. Poſt mortem Moſis, cum iam filij Iſraël veniſſent in terram promiſſionis, duplex Tribu- nal ac iudicium conſtitutum eſt: vnum Hieroſo- lymis, pro cauſis diſſiſiotoribus: alterum in ſin- gulis ciuitatibus, pro facilioribus. Hoc posterius reſpondebat Conſilio Tribunorum ac Decano- rum: illud prius Conſilio ſeptuaginta Seniorum.

11. Huc addi potest, aliter in deſerto ſub Moſe, aliter in terra promiſſionis ſub aliis Pontifici- bus, auctum eſſe. Et quidem dupli ciſtrime: altero ex parte Pontificis, altero ex parte Conci- lii Seniorum. Nam Pontifex poſt ingressum in terram promiſſionis, non dirimebat controuerſias, niſi ex lege ſcripta. At Moſes, praſertim an- tequam lex integrè ſcripta eſſet, multas dirime- bat ex viua Dei voce & oraculo. Cuiusmodi ſunt illæ tres. Prima, quid faciendum eſſet cum iis, qui propter immunditiam legalem nō poterant cum aliis celebraſe Paſcha? Numer. 9.6. Secunda, qua pœna deberet affici, qui inuentus erat colligere ligna in die Sabbathi? (Numer. 15.32.) Tertia, an filiæ Salphaad poſſent habere hæreditatem inter cognatos patris ſui? (Numer. 27.1.) De his contro-

controuerſiis nihil tunc erat ſcriptum in lege. Igitur Moſes viua voce consuluit Deum, & ac- cepto reſponſo, voluntatem Dei executus eſt. Ac tunc primum hæc omnia in legem ſcriptam relata ſunt.

12. Ex parte Concilij Seniorum, hoc erat diſ- crimen. Septuaginta Seniores, qui à Moſe electi ſunt, acceperunt ſpiritum prophetiæ in ipſa elec- tione (Numer. 11.25.) De aliis, qui poſtea in il- lorum locum per interualla temporis ſubrogati ſunt, non conſtat accepiſſe. Hoc autem credibile eſt, singulari Dei aſſiſtentia uſos eſſe, quoties de rebus diſſiſiotoribus conſultandum eſſet: & ma- xiſtē hanc aſſiſtentia Pontifici, qui omnibus præ- ſidebat, ſpeciatim confeſſam fuifſe, quando ſu- premi Iudicis oſſicio in ferenda ſententia fungē- batur. De qua re dicam aliquid paulo poſt.

13. Dices: Hæc omnia procedunt de controuerſiis legalibus, in quibus Pontifex erat ſupre- muſ Iudex, vt bene probatum eſt, non autem de controuerſiis fidei, in quibus ſola Scriptura erat Iudex. Reſpondeo. Hoc ſine fundamento dicitur. Nam omnes controuerſiæ, ſiuſ eſſent de fide, ſiuſ de aliis rebus, vocabantur legales, dupli ciſtrime. Primò, quia oriebantur ex ipſa lege, non fa- tis benè intellecta. Secundò, quia per veram legis interpretationem erant dirimendæ. (Deuteron. 17.10.) Omnes porro, ſine uilla exceptione, per- tinebant ad Pontificem, tanquam ad ſupremum iudicem: etiam illæ, quæ eſſent de fide & religio- ne. Hoc maniſtē conſtat ex illis verbis, paulo ante citatis: *Amarias Ponifex uester in hiſ, quæ ad Deum pertinenſt, præſidebit.* At controuerſiæ de fide

de fide & religione , maximè ad Deum pertinent: ergo Pontifex in illis controuersiis præsidebat. Quid autem est præsidere in controuersiis , nisi iudicem agere ? Item , ex verbis præcedentibus: *Vb: cunque questio est de lege , de mandato , de ceremoniis , de iustificationibus.* Omnes hæ quæstiones deferebantur ad Pontificem : Et præter has , non erant vllæ aliae : ergo nulla erat exempta à iurisdictione Pontificis.

14. Et confirmatur exemplo. Nam inter controuersias fidei (de quibus maximè nunc agimus) erat vna præcipua de Messia. At hæc ipsa, quando dubitatum fuit tempore Herodis ; An Messias iam natus esset , deferebatur ad Concilium Sacerdotum , in quo Pontifex præsidebat , vt patet ex Euangelio Matthæi 2. 3. *Audiens autem Herodes Rex , turbatus est , & omnis Ierosolyma cum illo.* Et congregans omnes Principes Sacerdotiorum , & Scribas populi , sciscitabatur ab eis , ubi Christus nascetur. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Iuda. Sic enim scriptum est per Prophetas : *Et tu Bethlehem terra Iuda , nequaquam minima es in principiis Iuda :* Ex te enim exiet Dux , qui regat populum meum Israël. Vbi tria notanda sunt. Primò , quod Rex Herodes , & totus Hebraeorum populus dubitauerit de loco, in quo Messias esset nasciturus. Secundò , quod hanc dubitationem non ausi fuerint ipsi per se discutere , sed detulerint illam ad ordinarium Concilium Sacerdotum. Tertiò , quod Sacerdotes , vt satisfacerent officio suo , dissoluerint hanc dubitationem ex Scriptura , tanquam ex norma & regula , cui se conformabant.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An Pontifex fuerit infallibilis Index?

1. **A**liqui ex Lutheranis concedunt quidem , fuisse Iudicem controuersiarum , sed negant fuisse infallibilem. Quod nos affirmamus. Et tripliciter probari potest. Primò , ex discrimine , quod erat inter Summum Pontificem , & alios inferiores Iudices. Nam quando oriebatur aliqua controuersia difficultor , in cuius decisione inferiores Iudices vel dissentiebant , vel veritatem attingere non poterant ; volebat Deus , vt partes litigantes deferrent eam ad Pontificem in superiori Concilio præsidentem , cum hac promissione , quod ab eo accepturi essenti judicij veritatem , (Deuteronom. 17. 9.) At si Pontifex in tali cassu fuisset fallibilis , non accepissent ab eo iudicij veritatem , nec promissio Dei fuisser impleta: Ergo dicendum est , in tali casu falli non potuisse.

2. Secundò , ex mandato Dei. Nam Deus , sub pœna mortis , mandabat omnibus , vt acquiescerent sententiæ Pontificis. Deuter. 17. 12. At certum est , non mandasse , vt acquiescerent sententiæ falsæ , præsertim in negotio fidei ac religionis ; Ergo certum est , sententiam Pontificis , præsertim in negotio fidei ac religionis , non potuisse esse falsam , sed ex peculiari Dei assistentia infallibilem.

3. Tertiò , ex parte litigantium. Nam si Pontifex , quando publicè in Concilio pronunciabat sententiam

sententiam , potuisset falli , vel à legitimo scripturæ sensu aberrare ; nunquam litigantes , qui illum consulebant , fuissent securi . Cur ergo sub pœna capitis tenebantur sequi illius decisionem ? Cur altera pars , cum tanto onere , debebat subiacere sententiæ contra se latæ , quam poterat suspicari falsam & iniquam esse ? Denique cur totus populus in negotio religionis iubebatur id sequi , quod Pontifex iudicabat sequi oportere , si Pontifex errare poterat ?

4. Obiiciunt Lutherani , Pontificem etiam cum toto Concilio sèpè errasse in negotio religionis . Quod probant variis exemplis . Primo , quia Aaron Pontifex fuit author idolatriæ , quando proposuit populo vitulum adorandum (Exod. 32. 4.) Secundo , quia Vrias contra legem Dei exstruxit nouum altare in templo , ad formam altaris Damasceni , & in eo sacrificia obtulit (4. Reg. 16. 10.) Tertio , quia tempore Isaïæ , omnes speculatores populi , erant cœci . (Isaïæ 56. 10.) Quartò , quia tempore Ieremiæ , à Propheta usque ad Sacerdotem , omnes loquebantur mendacium . Ierem. 6. 13. Quintò , quia idem Ieremias , propter verbum Domini , publico decreto omnium Sacerdotum & Prophetarum fuit condemnatus ad mortem (Ieremiæ 26. 11.) Sextò , quia Christus à Pontificibus , scribis , & senioribus populi , in publico Concilio , morti adiudicatus est .

5. Respondeo . Frustra hæc obiiciuntur : Primo , quia Aaron nec erat Pontifex , quando vitulum ex auro conflauit ; nec fuit author idolatriæ . Nihil ergo iuuat Lutheranos hoc exemplum .

Quod

Quod non fuerit Pontifex , certum est . Nam à Mose consecratus est in Pontificem anno secundo egressionis ex Ægypto , prima die mensis primi , quando tabernaculum fuit erectum . Exod. 40. versu 55. At vitulus iam antea conflatus erat , cum adhuc Moses fuit in monte Sinai cum Deo , & acceptis ab eo tabulis lapideis , iubebatur construere tabernaculum per Beseleel filium Vri . (Exod. trigesimo primo , & trigesimo secundo .) Similiter , quod populus fuerit author idolatriæ , non autem Aaron , disertè habetur Exod. 32. 1. *Videns populus , quod moram faceret descendendi de monte Moses , congregatus aduersus Aaron , dixit : Surge , fac nobis Deos , qui nos praecepisti .*

6. Secundò , Vrias non errauit , tanquam Iudex & præses Concilij , in dirimendis controversiis legalibus ; sed extra Concilium errauit in facto , volens satisfacere mandato Regis Achaz , quod non negamus . Itaque nec hoc exemplum ad rem facit . Non enim est quæstio inter nos , an Pontifex nulla in re potuerit errare , aut peccare ? Potuit certè in multis , non minus , quam alij . Sed quæstio est , an in sententia publicè ferenda , circa controversias legales , potuerit errare , vel falsam sententiam dicere ? Non potuit . Nec Vrias hoc modo errauit .

7. Tertiò , Isaïas per speculatores , quos ait cœcos esse , non intelligit Pontifices sui temporis , sed Scribas & Phariseos , qui erant futuri tempore Apostolorum , quando Ierusalem erat vastanda à Romanis , sub Vespasiano Imperatore , ut interpretatur sanctus Hieronymus . Et patet

ex

ex ipso contextu , qui sic habet : *Ait Dominus DEVS , qui congregat dispersos Israël : adhuc congregabo ad eum congregatos eius . Omnes bestiae agri venite ad deuorandum , uniuersae bestiae salvi . Speculatores eius cœci omnes , nescierunt uniuersi : canes muti , non valentes latrare . Sensus est : ait Dominus Deus : Ego post captiuitatem Babylonicam , in qua dispergentur Iudei , iterum congregabo illos in Ierusalem (quod contigit sub Cyro Persarum Rege . i. Eldræ 1.) Deinde etiam gentiles eis aggregabo , (quod factum est tempore Christi & Apostolorum , quando gentiles ad lucem Euangelij vocati sunt , & ex utroque populo coaliuit una Ecclesia .) Postea , dicam Romanis (qui propter infidelitatem vocantur bestiae agri) venite ad deuorandum , id est , ad deuastandam & euertendam ciuitatem Ierusalem . Sed ob quam causam ? Quia speculatores eius , Scribæ & Pharisei , merebuntur hanc poenam , dupliciti titulo . Primo , propter suam cœcitatem & incredulitatem . Nam neque ipsi volent Christum agnoscere pro Messia ; neque permisuri sunt , ut Iudei in eum credant . Et sic utrique propter incredulitatem digni erunt , qui puniantur . Vnde Christus Matth . 15 . 14 . Cœci sunt , & duces cœcorum . Et cap . 23 . 13 . *Vae vobis Scribæ , & Pharisei hypocrita , quia clauditis regnum cœlorum ante homines . Vos enim non intratis , nec introeuntes finitis intrare . Secundo , quia erunt canes muti , non valentes latrare , id est , ignavi Pastores , non defidentes gregem sibi concreditum , nec vitia subditorum reprehendentes . Ex hac interpretatione , quæ textui , & Hieronymo conformis est ,**

est nihil potest colligi , quod sit contra nos / Nam nostra assertio est , Pontificem in veteri Testamento non potuisse errare in definiendis legalibus controversiis , quæ ad ipsum in Concilio deferabantur . Hæc non euertitur per hoc , quod Pharisæi tempore Apostolorum , fuerint cœci , & increduli in Christum .

8. Quartò , nec dictum Ieremie , quod Lutherani obiiciunt , ipsis patrocinatur . Non enim intelligendum est de errore , vel mendacio Pontificis in decisione controversiarum legalium ; sed de dolo seu mendacio Sacerdotum & Prophetarum in prædictione futurorum . Cum enim Ieremias , & alij prophetæ à Deo missi , prædicerent fore , ut populus propter scelera sua puniretur , & in captiuitatem duceretur ; Sacerdotes & Pseudopropheṭæ blandiebantur populo , & omnia prospera vaticinabantur : & sic miserè illum decipiebant . Hic sensus colligitur ex ipso textu . Nam Ieremias prædictio erat hæc : *Vix cum muliere capietur , senex cum pleno dierum . Et transibunt domus illorum ad alios , agri & uxores paruer ; quia extendam manum meam super habitantes terram , dicit Dominus . A minore usque ad maiorem omnes avaritiae student . Quid porro Sacerdotes & Pseudopropheṭæ sequitur : A Prophetæ usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum . Et curabant contritionem populi mei cum ignominia , dices : Pax , pax , & non erat pax . Vel ut septuaginta vertunt : A Sacerdote & usque ad Pseudoprophetam omnes fecerunt mendacium , & curabant contritionem populi mei , parviperentes & dicentes : Pax , & ubi est pax ? quasi dicat . Quidquid ego ædifico , hoc mali Sacerdotes & Prophetæ destruunt . Ego reprehendo*

R. do

do scelera populi, & prædico illi captiuitatem; vt hac ratione permoueam ad dolorem & contritionem. Illi contra, dolo & mendacio decipiunt populum, promittendo prosperitatem & pacem; & sic conantur abstergere & curare contritionem, quam ex mea comminatione conceperat. Ex hoc sensu quid inferrent aduersarij? Vel nihil, vel hoc: Sacerdotes & Prophetæ in veteri Testamento mentiebantur in prædictione futurorum: Ergo Pontifex errabat in decisione controuersiarum legallium. Illatio aduersarii digna.

9. Quintò, quod obiicitur, Ieremiam publico decreto Sacerdotum & Prophetarum fuisse condemnatum ad mortem, non spectat ad præsentem quæstionem. Primò, quia tametsi Sacerdotes & Prophetæ peccarint in hoc facto, non tamen errarunt in decisione alicuius controuersiæ legalis (de quo errore hic disputamus) sed tantum in eo, quod dicenter falsam esse prædictiōnem Ieremiæ, de imminentे eversione Ierusalem, vt iam explicauit. Deinde, non soli Sacerdotes & Prophetæ, sed etiam populus condemnauit illum ad mortem. Cùm enim dixisset Ieremias ex persona & mandato Dei. *Dabo domum istam sicut Silo, & urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terra;* mox sequitur: *Et audierunt Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini.* Et paulò post: *Apprehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ, & omnis populus,* dicens: *Morire moriatur. Quare prophetavit in nomine Domini,* dicens: *Sicut Silo erit domus hæc, & urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator?* Igitur sententia condemnationis non fuit legitime

timè & iudicialiter lata in Concilio seu Synedrio, in quo Legales controuersiæ decidebantur; sed in tumultuário concursu ac seditione vulgi, vt etiam à Hieronymo notatum est. Et hoc patet ex euenu. Nam principes Iuda, cùm audissent tumultum populi, & conspirationem factam contra Ieremiam; venerunt ad introitum templi (vbi sedatio excitabatur) & liberarunt Ieremiam à sententia mortis; quod non facile fecissent, si sententia à summo Pontifice in Concilio fuisset pronuntiata. Inspiciatur textus.

10. Ad id denique, quod affertur de Christo à Pontifice & Senioribus morti adiudicato, facilis responsio est. Fateor, Caipham, qui tunc erat Pontifex, errasse cum Concilio, nec amplius habuisse infallibilem Dei assistentiam, quia Synagoga iam ferè exspirabat. Vide quæ dicta sunt de hoc puncto, capite sexto, quæst. 2. §. 5. & sequentibus.

QVÆSTIO III.

An etiam in novo Testamento sit aliquis Iudex Controuersiarum, & quis?

1. **C**ertum est, aliquem esse. Quis ille sit, quæstio est? Lutherani & Caluinistæ volunt Scripturam esse: Nos, non Scripturam, sed Ecclesiam, seu Pontificem, qui est Pastor & Caput Ecclesiæ. Quod probauit sex argumentis in peculiari tractatu de Iudice Controuersiarum. Quæ breuiter hic reponam.

2. Primum sumitur ex officio Iudicis, hoc modo.

do Qui est Iudex inter duos litigantes, debet ita pronunciare sententiam, ut vterque litigantium clarè intelligat, quænam sit sententia Iudicis: Et alter eorum fateatur illam pro se, alter contra se latam esse: Alioqui nisi id fiat, non cessabunt à lите, sed vterque suam causam prosequetur. At Scriptura non potest hoc præstare: Ergo non potest esse Iudex controveneriarum. Maior per se clara est. Minorem probo, qui Lutherani & Caluinistæ multis iam annis litigant de his punctis. 1. De Baptismo parvulorum. 2. De reali præsentia Christi in Eucharistia. 3. De prædestinatione. 4. De persona Christi. 5. De Exorcismo. 6. De numero & Canone librorum Scripturæ. Et tamen Scriptura, quam volunt esse Iudicem, non potest dirimere aut finire has ipsas controvenerias. Nec hactenus auditum est, ita pronunciasse sententiam, ut vel Lutherani, vel Caluinistæ fassi sint, contra se pronunciatam esse. Hoc constat ex eventu. Nam vtrique pergunt in studio & ardore ligandi: quod sine dubio non facerent, si putarent sententiam claram semel esse latam. Tunc enim, vel vltro cessarent à susceppta contentione, & sententiæ acquiescerent: vel certè, si existimarent iniuste secum actum esse, ad alium Iudicem prouocarent. Neutrum fit.

3. Secundum argumentum sumitur ex parte Scripturæ, in qua duo spectanda sunt: Littera, & sensus: sicut in homine, corpus & anima. De illis, ut alii interpretantur, locutus est Apostolus 2. Corinth. 3. 6. cùm ait: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, q. d. Si sequaris verum Scripturæ sensum, qui est quasi spiritus & anima vivificantis,

pro

proderit tibi ad salutem. Si autem, neglecto vero & legitimo sensu, hæreas tantum in externa litera, & contendas illum esse sensum quem externa litera præ se fert, sàpè errabis. Quam interpretationem sequitur Augustinus sermone 70. de tempore.

4. Hoc posito, duo probanda sunt. Vnum est, quod Scriptura, si literam spectes, non possit esse Iudex Controveneriarum. Alterum, quod neque si sensum spectes, possit esse Iudex. Priorem partem sic probo: Ille non potest esse infallibilis Iudex Controveneriarum, qui dicit homines in errorem & hæresim: At Scriptura, si nudam illius literam spectemus, dicit homines in errorem & hæresim: Ergo non potest esse infallibilis Iudex Controveneriarum. Maior per se nota est, quia propterea querimus infallibilem Iudicem, ne erremus: Ergo qui dicit nos in errorem, non est infallibilis Iudex. Minor patet ex Apostolo, quia Scriptura secundum literam occidit, id est, in lapsum & errorem dicit.

5. Sic olim occidit Iudeos, qui omnia, quæ in Mose & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundum externam literam, & sensum interius latentem non percipiebant. Et hoc est, quod ait Apostolus 2. Cor. 3. 15. *Visque in hodiernum diem, cum legiur Moses, velamen positum est super cor eorum*, id est: Adhuc Iudei non intelligunt Mosen, quem quotidie legunt, quia non penetrat internum ipsius sensum, sed externa litera contenti sunt. Vel clarius: Non agnoscunt Christum, qui in Mose sub externis ceremoniis ac sacrificiis, tanquam sub velamine occultatus est. Adhuc hærent

R 3 in

in ipso velamine; & non considerant, quid sub illo lateat reconditum. Quod etiā obiicit illis Christus Ioan. 5.39. *Scrutamini Scripturā, quia vos putatis in ipsis viam aeternam habere: Et illae sunt quae testimoniūm perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* q.d. Si vultis certò cognoscere, me esse Messiam à Deo promissum, de quo Moses & Prophetæ scripsérunt, non tantùm deberis legere scripturas, quoad extēnam litteram; sed multò magis scrutari internum sensum & spiritum, qui sub externa littera, quasi sub umbra aut figura delitescit. Hoc hactenus non fecistis. Tametsi enim persuasum vobis sit, in Scripturis sitam esse vitam aeternam; tamē nescitis in qua parte sita sit. Non est sita in externa littera, in extēnis ceremoniis & figuris, ut vos putatis; sed in spiritu, in sensu, in mysterio. Ibi me querite, & inuenietis.

6. Posteriorem sic probō: Scriptura, quoad verum & legitimū sensum, sāpē est obscura, & difficilis intellectu: ac proinde, sāpē oritur controuersia de vero & legitimo ipsius sensu. Omnis autem controuersia requirit aliquem Iudicem: Debet ergo esse aliquis Iudex, qui definiat, hunc esse legitimū sensum, illum non esse. At hic Iudex non potest esse ipsa scriptura: de cuius mente & sententia controuersia mouetur: Ergo aliquis aliis, distinctus à scriptura.

7. Tertium argumentum sumitur ex parte controuersiarum. Multæ enim sunt controuersiae circa fidem & religionem, quarum vel nulla fit mentio in Scriptura, vel certè non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis sententiam ferre possit: Ergo in iis dirimendis alias Iudex querendus est: Eiusmodi

modi autem controuersiae sunt hæc: 1. An libri Tobiae, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabœorum sint Canonici & diuini, necne? 2. Quot sint Sacra menta nouæ legis? 3. An exorcismus, & aliae ceremoniæ in Ecclesia Catholica visitatæ, possint adhiberi in Baptismo? 4. An baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi? 5. An baptismus una mersione conferri debeat? 6. An Christiani, loco Sabatti, debeant colere diem Dominicam? 7. An beata Maria manerit virgo post partum? 8. An Petrus Apostolus fuerit Romanæ Ecclesiæ Episcopus? 9. An Symbolum fidei sit verè canonicum & Apostolicum? 10. An in veteri Testamento fuerit aliquod extēnum remedium pro fœminis contra peccatum originis?

8. Quartum sumitur ex usu & praxi veteris Testamenti. Nam omnes controuersiae legales, quæ erant maioris momenti, à summō Sacerdote seu Pōtifice, tanquam à supremo in terris Iudice, non autem à Scriptura, debebant dirimi ac definiiri, ut supra copiosè ostensum est.

9. Quintum ex usu & praxi noui Testamenti, vbi idem hactenus seruatum est. Nam tempore Apostolorum fuit orta controuersia de circumcisione: An scilicet noui Christiani, qui tunc fidem Euangeliū recipiebant, non possent saluari, nisi circumcidarentur, & legalia seruarent? Quæ controuersia potissimum intelligebatur de Gentilibus ad fidem conuersis. Erat autem duplex de hac re sententia: Vna quorundam, qui ex Iudeis facti erant Christiani; qui dicebant Gentiles per fidem Christi non posse saluari, nisi circumcidarentur, & ceremonias legis Mosaicæ obseruarent.

Altera Pauli & Barnabæ, qui asserebant, non opus esse circumcisio[n]e, & obseruatione legalium. (Actuum 15.1.) At quomodo decisâ & definita est hæc controuersia? An ad solam Scripturam, tanquam ad communem iudicem delata est? Nihil minus. Sed potius ex consensu vtriusque partis delecti sunt aliqui, qui Hierosolymam irent ad Apostolos, ut ip[s]i in solemni Concilio de tota re cognoscerent, & definitiuam sententiam pronunciarent. Quod & factum est. Nam ex una parte designati sunt Paulus & Barnabas; & ex altera, alijs: qui simul Hierosolymam profecti, Apostolos & Seniores adierunt. Hi coacto Concilio, & inuocato Spiritu sancto, responderunt his verbis: *Vt sum est spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

9. Post tempora Apostolorum, alia atque aliæ controuersiæ diuersis locis, atque ætatibus exortæ sunt, quas similiter à Pontifice Romano, vel à Conciliis ab eo approbatis, decisas ac diremptas esse, notum est ex historiis Ecclesiasticis. Et qui illorum sententiæ noluerunt acquiescere, pro hereticis habiti & damnati sunt. Huius rei multa exempla adduxi in supradicto tractatu de Iudice Controuersiarum.

10. Sextum sumitur ex analogia Iudicis Controuersiarum ciuilium. Quod sic propono. Inter res fidei ac religionis ex una parte, & inter res ciuiles ac politicas ex altera, potest spectari multiplex analogia. 1. Sicut in politicis ac ciuib[us] s[ecundu]m orientut lites ac controuersiæ, quæ requirunt aliquem

aliquem Iudicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes; sic etiam fit in fide ac religione. 2. Sicut in controuersiis ciuib[us] distinguuntur hæc tria: Iudex, Lex scripta, & consuetudo: sic etiam in Controuersiis fidei, hæc tria, Iudex, scriptura vtriusque Testamenti, & traditio. 3. Sicut Princeps vel Magistratus secularis fungitur officio Iudicis in decisione Controuersiarum ciuilium: sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel Synodus Ecclesiastica fungitur officio Iudicis in decisione Controuersiarum fidei. 4. Sicut lex scripta est quasi norma quædam seu Regula, quam sequitur Iudex secularis in decidendis controuersiis ciuib[us]: sic etiā Scriptura vtriusque Testamenti est quasi norma quædam seu Regula, quam sequitur Iudex Ecclesiasticus in decidendis controuersiis fidei. 5. Sicut sola lex scripta non est sufficiens & integra norma omnium Controuersiarum ciuilium, sed lex scripta & consuetudo simul: sic etiam sola Scriptura vtriusque Testamenti non est sufficiens & integra norma omnium controuersiarum fidei, sed Scriptura & traditio simul. Hæc clara sunt. Obiectio[n]es alibi solutæ.

C A P V T . X I I .

De Instrumentis diuini cultus.

I x i hæc tenus de ministris Synagogæ, qui ad diuinum cultum erâ deputati: Nunc dicendum est de instrumentis, quibus diuinus cultus peragebatur. Deinde de ipso cultu, qui consistet R 5 bat